

Lto. 70.



... hinc ubi dicitur in eadem ...
... hinc ubi dicitur in eadem ...
... hinc ubi dicitur in eadem ...

D. CHRIST. AVG. CRVSII

PROBLEMA

DE

D V B I I S I N D A T A

CONVERTENDIS,

SIGILLATIM

IN

DISPV TANDO SVPER DOCTRINIS

CHRISTIANIS.

PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.

FESTO PENTECOST, CIOIOCCCLXXIII,

... hinc ubi dicitur in eadem ...
... hinc ubi dicitur in eadem ...
... hinc ubi dicitur in eadem ...



Nihil vulgarius est, quam quod in causis ad religionem pertinentibus immodica dubitatione rerumque difficilium dubiarumque exprobratione peccatur. Atque propter perpetuam hanc dubitandi et contra disputandi consuetudinem etiam virtutis et morum doctrinam, quam caeteroquin obloquentes illi iactare solent, et prae se ferunt, efficacia carere necesse est. Etenim e dogmatum et textus sacri veritate rationes mouentes peti debent illae, quae efficacissimae sunt, vel potius quae solae verae, et propriae sunt virtuti. Multi agnoscunt, militare pro christiana religione argumenta magni ponderis; sed iidem, dum multo plura dubia pariter christianorum doctrinae inesse, vel illi opponi posse, sibi persuadent, malunt tamen profani esse, suntque, si modesti sint, ex illo profanorum genere, qui iudicium suum suspendunt, sin vero natura sint audaciores ferociorefque, illam propter repudiant, semper in ore habentes tritum illud: cur vero hoc ita foret? quomodo expediatur hoc vel illud? tales res quis credat? et quae similia sunt.

Rursus alii sunt, qui propterea nouas et eclecticis religiones cudant, suasque ideas in publicum propellant immature, et omnem moueant lapidem, vt easdem persuadeant pluribus. Sicubi difficulter hoc succedat, sintque, qui accusent temeritatem illam innouandi in rebus, quae conscientiam obstringant, et a quibus tenendis etiam salus publica pendeat, et prudentia prouidendi, ne securitas statuum politica infringatur; est tamen aliud in promptu, quod prae se ferant, videlicet quod suo suffragandi iure in libertate illa, quam natura hominibus dederit, vtantur, quam libertatem aliis vicissim non inuideant. Sentiunt enim tali liberalitatis specie se tamen obtinere quod cupiunt. Omnes enim, qui ita disputant, reuera id agunt, vt quam paucissima ad substantiam religionis pertinentia relinquuntur, nempe quae ipsimet aperta habeant et luculenta, succisis omnibus, et, quando modeste agitur, suo loco relictis, vt libere poni aut negari queant, quae dubia esse existiment. Referunt vero huc vniuersa, de quibus inter homines, in quibus aliqua auctoritas illis esse videtur, ambigitur, vel dissensio est, nec non cuncta, quae ipsis sint incomprehensibilia.

In quo aliud etiam meretur obseruari, quod merito seorsum commemorandum est. Inter res enim prorsus absurdas et incredibiles, quas omnium cordatorum mentes aspernari dicant, quasque a sana ratione abhorreere existiment, mirum omnino est, quod frequenter etiam numerantur opiniones recentioris tantummodo aetatis, nullo nixae fundamento,

mento, inauditae etiam veteribus, sed nunc vi adfuefactionis menti pertinaciter impressae, atque declamationibus et concentu multorum vociferantium ex aliquo demum tempore roboratae. Veluti qui ordine et ratione philosophari didicerunt, vix sibi a risu temperant, quando vt rem difficillimam et maxime dubiam, allegari audiunt quaestionem, an spiritus agant in corpora? Nam ne corpora quaedam esse possunt, nisi qui spiritus infiniti effectus sint, nec a Deo conduntur corpora, aut condi possunt, alio consilio, nisi hoc, vt sint obiecta operationis spirituum. Nam sola spiritualis natura ad hoc apta est, vt a rerum conditore sapientissimo ponatur pro scopo; sed quidquid vel vita-vel ratione caret, medium est, hoc est tale quid, quod sit alius rei causa, cui inseruiat, vel cuius obiectum sit aut concomitans. Sed boni illi philosophi de obscuritate modi queruntur, quo spiritus et corpora mutuo in se inuicem agant, eamque modi ignoracionem tanquam dubium inuincibile opponunt, propter quod actiones illas fieri posse negent.

Sed maxime mirari licet, praesertim in celebratissima hac nostra luminosi temporis laude, quod, qui ita de rebus religiosis decernunt, suaque dubia sacris literis opponunt, non sentiunt, se falli in methodo disquirendi de eo, quod verum sit, vel falsum, vel in medio relinquendum. Nam plerumque res illae, quas ipsi vt dubia opponunt, notari deberent vt data, ex quibus simul sumtis de natura rerum magis recondata iudicium fieri debet, dummodo fieri possit; vbi tamen, etiamsi profundius penetrare non possis, data tamen manent, quod sunt, et possunt exploratissime certa esse. Occultam ergo causam, cur tam peruersè agatur, quando de rebus ad religionem spectantibus disceptatur, latere in animo illorum hominum oportet; nec video, quaenam esse possit, nisi sit auersio mentis a rebus diuinis, et ad neglectionem submissionis et obedientiae Deo debitae propensio, sed ad reperiendum, quod speciose opponi possit, sopiatque conscientiam, procliuitas. Nam in rebus huius vitae, et in omni negotio, quod ad res literarias, politicas, oeconomicas pertinet, profecto aliter agi solet, id quod, age, in exemplis aliquot intueamur.

Quis sibi ab indignatione vel risu temperauerit, quando audiat, olim Scheinerum Iesuitam, qui primum maculas in sole detexit, obtreccionem, quin immo persecutionem, a sodalibus et praefectis sui ordinis propterea passum esse, quod reppererat, ex quo sequeretur, Aristotelem, summum virum, non recte solem pro igne purissimo habuisse? In quoniam ergo peccarunt obtreccatores Scheineri? annon in eo, quod repudiarent, quod notari debebat vt datum, et doctrinam ex datis demum colligendam iam suo arbitratu in antecessum ita constituerant, vt, quod

ipsorum sententiae repugnaret, illud pro incredibili haberent? Vt-
 mur alio exemplo. Ecquis praefectum iuri dicendo ferret, qui, quando
 conuocat rusticos ad seruitia publica, veluti ad viam regiam parandam,
 non allegaret iussum regis, non poenam renitentibus propositam, sed
 bellis duntaxat artibus suauibusque allocutionibus animos flectendos
 censeret, vt facerent imperata, non tamen vt imperata, non vt officia,
 quorum neglectioem sit securura poena, sed vt rem gustus boni, qui
 elegantiam in statu nationis magni aestimet, qui laudari a prudentibus
 velit qui opera promoueat, quae digna sint nostra aetate, in qua artes
 omnes excolantur, suasque habeant academias. Annon autem similiter
 faciunt, qui nunc frequenter pro religione virtutum in ore habent, to-
 tamque religionem ponunt in studio virtutum vitae socialis, sed de re-
 gno coelorum doceri nolunt? Doctrinas enim mysterii plenas, quibus
 expositio de illo carere nequit, cuiusmodi sunt de trinitate, de Filio
 Dei, de deitate Christi, de Christo rege Israelis, de christianismo vt im-
 pleta spe Israelis et implenda, de corruptione status naturalis hominum,
 de malo congenito, de expiatione peccatorum mundi per Christum fa-
 cta, de naturis inuisibilibus, potissimum de aduersario generis humani et
 eius sociis, de rebus coelestibus, de resurrectione mortuorum, de da-
 mnatione aeterna, quae inprimis crux est deistarum et omnium superfi-
 ciarie piorum, Deumque odiosum bellis ingeniis facere existimatur, ta-
 les, inquam, doctrinas vix attingi, vel prorsus omitti et remo-
 ueri volunt. Vtile itaque esse fatentur ministerium verbi diuini, sed in
 hos illud limites coarctant et redigere cupiunt, vt faciat probos ciues,
 patientes laboris et molestiarum, promptos ad ferendum iugum a magi-
 stratibus impositum. Veruntamen remoueri volunt doctrinas, ex quibus
 reuera vires repetuntur ad officia haec explenda, et in quibus vera hu-
 ius vniuersi noticia posita est, ita vt ignoratis his rebus, quae non nisi
 reuelatione constare possunt, mundum fingas commentitium. Paucis qui-
 dem verbis multa possumus recensere, quae facienda sunt, multa, quae
 omittenda; sed eapropter non sient imperata, non extinguentur cupidita-
 tes, non deserentur mali mores. Explices etiam rationes, quae ex vti-
 litate huius vitae depromi possunt, et characteres virtutum amabiles, vi-
 tiorum odiosos belle depingas: non deerunt exceptiones et exempla,
 quae rationibus illis opponantur, picturis autem moralibus nihil efficies,
 nisi vt gustum commoueas moralem, quem sequetur, qui velit, et
 quousque libeat. Cur vero scriptores caeteroquin docti ita faciunt? cur
 non sentiunt, quomodo peccent? cur sibi in aperta temeritate sapere
 videntur? Scilicet de vniuersa procedendi methodo errant, et in eo
 praecipue falluntur, quod data non colligunt, sed postquam praepostere
 dubi-

V

dubitarunt, suas dubitationes, et depromtas illas a rebus, quae notari debebant, vt data, pro argumentis contrariis venditant.

Indignum autem hoc est, nec vilo modo decet hominem probum et circumspicum. Dummodo enim is religionis christianae typus vnice teneatur, qui Scripturam S. accurate sequitur, eamque non coactis peruertit interpretationibus, sed veram, quae verbis subest, sententiam iisdem regulis et modis intelligit, quibus quotidie in vita communi vitamur, quibusque nos mutuo facile capimus; pleraque dubia, quae contra doctrinas christianas proferuntur, ne nomine quidem dubiorum digna sunt, sed tractari debebant, vt data, quae ante omnia animaduerti et colligi debent, et ex quibus simul sumtis demum iusta totius systematis idea formari et compingi debet, quo facto demum potest iudicari, habeatne systema sic constitutum difficultates, et quales habeat.

Pleraque sane *dubia* in *data* conuerti possunt et debent; demtis autem his reliqua facile expediuntur et refutantur, vt perperam sumta, vel nihil in contrarium probantia. Utamur iam praesenti scribendi occasione, et agamus de *dubiis in data conuertendis*, et *problema haec ad res sacras caute tractandas* breuiter, ita tamen tractemus, vt expositio nostra bonis ingeniis et sufficere possit ad intelligendum, et ad plura obseruanda manuducere queat. *Data* iam, quemadmodum per se facile patet, et vix monere opus est, vocabulo a mathematicis mutuato vocamus, quidquid in problemate iam sumitur, vt notum vel constitutum.

Notemus primo *principia*, e quibus *discussio et solutio problematis de dubiis in data conuertendis* peti potest. 1.) Primo loco memorari oportet, sed et indicasse satis est, quoniam per se est perspicuum, et in thesi a nemine negatur, necesse esse, vt *accurate vbique formetur status quaestionis*. Dicit enim non potest, quam multa quum alias tum praecipue sed et nocentissime in causa religionis frustra disputentur, dum, qua de re agatur, non accurate definitur, sed sophisma ignorati vel mutati elenchi subest. Exemplo sit quaestio de salute hominum extra ecclesiam. Nam vt omittam, quanta sit ambiguitas in eo, quod ponitur extra ecclesiam, vrgeo tantummodo, salutis nomine multo plura animo complectenda esse, quam plerisque statim in mentem venerit, qui non solent singulas sacrarum literarum particulas contemplari, vel qui studio sectae abripiunt, vt nimis polemico agant, vel qui falsa aequitatis specie decepti iniqui sunt aduersus Deum, et honorem Dei et Christi et verbi diuini parum pensant, dummodo felicitatem omnibus promittant.

II) Deinde *diligenter separantur, nec vnquam inter se inuicem confundantur, argumenta et partes doctrinae*. Dico, in disquirendo de dogmate ne confundatur, quod ponitur vt pars doctrinae Scripturae S.

quae suis argumentis certa est, quodque ut argumentum ipsum spectari debet, siue sit argumentum veritatis et diuinæ originis religionis christianæ, siue probatio partis doctrinæ e sacris literis hauriendæ. Fieri quidem potest, ut vna eademque res dupliciter spectari, et ad vtrumque genus referri possit, nempe quoties exposito vno, ferente sic idearum nexu, sequitur aut confirmatur alterum, veruntamen vterque respectus inter se inuicem confundi non debet. Sunt autem aliqui ita immodice sceptici, ut nihil prorsus velle videantur, præterquam perpetuo audire argumenta probantia, nunquam fere attendentes, quid doceatur, quid dicatur. Quamobrem si quod dogma illis displiceat, in eo elaborant, ut verba textus aliter explicent, et deinceps statim negent, textum de re illa agere, de qua vulgo accipitur. Vtpote hoc propterea, non sine aliqua veritatis specie, facile obtingere potest, quando dogma ex tali textu probari non posset, sed, loquentem illud in mente habuisse, aliunde constat. Est vero tergiuersatio hæc exegetica inprimis speciosa, quando versatur in verbis et phrasibus varie significantibus, ut voces pleraque in linguis omnibus grammaticæ æquiuocæ et πολύσημοι esse solent. Nihilominus facile illa, quam oppugnant, interpretatio bene poterat suis argumentis iam certissima esse, veluti ex loco, vbi auctor determinate dixerit, quid ipsi vox notet, nec non si vsus loquendi ex parallelis et ex versionibus vetustis satis cognitus est.

Exempli loco reminiscamur duntaxat, quomodo sensum verborum nonnulli torqueant, quando de angelis dicitur. Quam ingeniosi sunt multi in consueta nostræ ætatis, sed vanissima illa, pneumatomachia, ut angelos faciant euentus mirabiles, procellas, morbos, et quid non? Ecur vero? scilicet quia fortasse verbum sic acceptum in textu commodum sensum itidem funderet. Sed hoc per accidens ita esse potest; annon autem, verbum quid notet, grammaticæ tenendum erat? Sed boni illi nouatores omittunt descriptas historias de apparitionibus angelorum, de rebus ab illis gestis, nec non expositiones de muneribus, stationibus, discrimine angelorum, et satis habent, si in textu aliquo posito sensum sine veris angelis sibi reperisse videantur. Rabbinos forsan allegant, quos sequantur, et idiotissimum orientalium, vel certe Iudæorum, fingunt, nisi egregia hac auctoritate. At enim vero rursus non animaduertunt, hoc ipsum inter partes doctrinæ canonis sacri numerandum esse, quod magistri Iudæorum peruersissime mali et stupidi prædicti sunt, prædictumque euenire oportuit, quod corrupti doctores Christum repudiaturi sint, repudiantes autem a Deo sint deserendi et ad iudicium caecitatis et obdurationis tradendi, v. g. Deut. XXXII. 32. 33. Ies. XXIX. 9—14. coll. Matth. XV. 8. Ergone sapientis est, malle hos autores sequi,

qui, quam discere e scriptis diuinis res, quas non nisi ex reuelatione verbi diuini cognitas habere possumus?

Sane qui modestus et docilis est, diuinam religionis nostrae originem ex argumentis, quae luculenta et facile obuia sunt, non difficulter animaduertit. Quo facto non potest non testimonium Christi, prophetorum et apostolorum, de *θεοπνευστικῶν* librorum sacrorum, concedere. His vero ita positis scriptores sacri vbiuis pro auctoritate dicere possunt. Annon ergo discipuli eorum libenter esse debemus, non iudicis vel magistri personam adfescare? In vita quidem communi quomodo tiro ad artem vel opificium adsuesciendus proficere posset, si criticus magistri esse velit, a quo discere debet? Attamen bonum esse magistrum, cuius in disciplinam tradatur, illi euidenter certum esse bene potest; res ipsas autem, quae traduntur, non suo iudicio, sed illius auctoritate, accipit, siue clarae illi sint, siue obscurae, atque sic gradatim scientia et vsu proficit. Quatenam igitur est tam intempestiua et inspida obstinatio, qua fit, vt institutionem e verbo diuino suscipere nolimus, sed audacter iudicemus de incognitis, vel incognita et dubia habeamus, quae fide verbi diuini certissima sunt? Possuntne argumenta diuinae legationis Christi, vel prophetae cuiuslibet, non pariter certa esse, vt vbiq; pro auctoritate dicere possint, quam certae sunt auctoritates humanae, quas libenter sequimur? Aut potius annon euidentia auctoritatis illorum longissime superat fidem rerum, qua satis habemus in causis ciuilibus? Talibus itaque dubitatoribus respondendum est, quemadmodum Christus olim dicebat: hypocritae, faciem coeli iudicare nostis, quomodo signa huius temporis diiudicare non potestis? Videlicet hos similiter rogemus: cur recte versamini in scriptis humanis intelligendis? Cur illic grammaticae et exegeticae bene versamini, nec propter opiniones domesticas verba ad alienum sensum detorquetis; sed longe aliam rationem sequimini in doctrinis sacris, quando vos iactatis, tamquam qui res hactenus male creditas sub nouum et liberale examen reuocare, et superstitiones depellere velint? Nam si ad auctores classicos, vulgo dictos, peruertendos tali philologia, tali methodo, tali crisi, vteremini, tales parallelismos, tales nationis calumnias fingeretis, quales afferre ad cuedandas nouas religiones consueuistis; an tolerantiam illam, quam vestris deposcitis erroribus, reperiretis apud doctos homines, vel apud Principes quoque, vel ICtos, si instrumenta pacis, si leges, ita peruerteretis? Sed in humana hac literatura reuera libere, id est sine prauae mentis seruitute, cogitare soletis, ideoque *data* colligitis, e quibus deinceps iudicium formetur; at in religione reformanda res temere in dubia et contrarian-

triantia argumenta conuertitis, quae pro datis agnosci et colligi debebant.

III.) *Quidquid in Scriptura S. docetur, et sufficienti euidentia illi inesse percipitur, illud aequaliter verum est, et notari firmiterque teneri debet ut datum, quacunque de re agatur.* Si forte non omnibus christianis aequè scitu necessarium fuerit, si ad fundamentum fidei non pertineat eatenus, ut dissentientes in tali causa tamen communis ecclesiae membra bene esse possint, veritatis tamen discrimen non est, nec obiectiue veritas gradus admittit. Quapropter quidquid inest in sacris literis illud ubique locorum, quandocunque eius usus esse potuerit, ad res diiudicandas quacunque, philosophicas, litterarias, politicas, tuto adhiberi potest et debet, quemadmodum quod oculis cernitur. E contrario qui uti nolit narrationibus vel assertionibus omnis generis, quae extant in sacris literis, is fallitur, suaque ipsius culpa in dira et atrocia incidit, in quibus olim in iudicio diuino deprehenderur, quidquid fiat de praesenti tempore, ubi stulti neganda Dei iustitia sibi et similibus sapere videntur.

Quare etiam similiter iudicandum est, quantum attinet ad consensum dogmatis specialis cum reliquis dogmatibus, vel cum partibus philosophiae et eruditionis humanae. Nimirum quidquid euidenter docetur in sacris literis, id oportet retineri ut datum, quidquid fiat reliquis nostris opinionibus, in quibus quid falso quid precario sumserimus, suo tempore et ordine liquido constabit, dummodo nihil quidquam de assertis verbi diuini diminui patiamur, sed omnia ut non minus vera, quam quidquid in sensus incurrit, firmiter teneamus. Flagitio nos obstringimus, si Deum non curemus, ergo etiam si neglectione Dei efficiamus, ut veritatem diuinam non agnoscamus. Sed multo magis flagitiosum foret, indubitabili Dei testimonio credere nolle, tamquam si nostram auctoritatem, vel ventosorum hominum literaturam, diuinae auctoritati opponere, vel Deum mendacem facere velimus, tamen oeconomicum forsitan mendacem, ideoque talem doctorem, cui vterius fides habenda non sit, nisi quousque gnosticis priscae et nostrae aetatis libeat auctoritatem verbis eius literatissima sua scribacitate dare. Quapropter exempli gratia quidquid in sacris literis extat de vniuersali et congenita hominum corruptione, non minus certum est, quam maculae solares, quarum supra mentionem fecimus, et in quibus contra Scheinerum negandis praeconceptae theoriae causa obtreçatores turpiter se ipsos deduxerunt. Quidquid de rebus inuisibilibus et coelestibus docetur, nec non quod de fatis ecclesiae et mundi futuri praedicitur, non minus certum est, quam vnitas et existentia Dei. Contemptu digni sunt antitrinitarii omnis generis, quemadmodum procul dubio recte contemneremus, qui gene-

generationem animantium et plantarum contra sensuum testimonium negaret propterea, quoniam, quo illa modo sic fieret, explicari non posset, et magis etiam contemneretur, si quis audacter iudicaret, qui ne physicam quidem didicisset, vel discere vellet, sed alii vitae generi se addidisset, veluti mercaturae, militiae, bellis artibus, linguis.

IV) Denique *dubia ipsa in suas classes redigantur*, ut cuius generis vnumquodque sit, quod affertur, recte iudicari queat. Nam sub communi dubiorum contra doctrinas christianas nomine res variae et diuersissimi generis venire solent, quae diuersimode tractandae sunt, ut vel expediantur, vel aliter remoueantur, agnoscanturque forsitan ut superfluae, nec ad refutandum necessariae. Quapropter antequam examinaueris, cuius generis sit, quod tamquam dubium proponitur, vel eris consilii inops, quid sit faciendum, vel imprudenter efficies, ut aduersarios habeas audaciores, et maiori cum veritatis specie obloquentes. Maleuoli enim hac inprimis arte uti solent, ut per sophismata misceant turbentque multa, comprehendant separanda, diuidant copulata, admisceant aliena, et quae diuersissima sunt, eodem modo haberi velint, denique ut ingeniosi sint ad quaerendum plus, quam opus sit, atque etiam quam ipsimet audire vellent, vel caperent. Innumera sic latibula existunt, in quae se coniciant, quando euidenibus argumentis errores eorum insectamur. Sed extrahuntur ex illis, quando, quale sit dubium, quod opponunt, sollicitè expenditur et indicatur. Iniquis quidem hominibus nulla responsio satis est; sed recte data responsio aequis iudicibus facile sufficit ad videndum, a cuius parte stet veritas, hisque proprie inferuire studemus, quidquid fiat illis, qui videre nolunt, vel nequeunt. Quamobrem potiores dubiorum classes sequentem in modum dispescamus.

I) *Quaedam, quae ut dubia obiciuntur, sunt quaestiones, neque tam obiectiones, quam defectus et lacunae cognitionis in illo, qui interrogat.* Circa quaestiones expende primum, quousque tibi ipsi confidere possis, an responsum, si qua ad quaesita recte daretur, tu caperes; an etiam iudex competens esse possis, siue apte responsum, et annon multa ipse antea discere necesse habeas, quam tales quaestiones iure proponas. Nam multa paucis verbis quaeri possunt; sed responsio frequenter lemmata ex multis disciplinis, et insuper apparatus historicum, quinimmo experientiam et usum, poscit. Deinde attendendum quoque est, an quaestionis solutione ad hoc opus sit, ut propositio, cui quaestio ut dubium contra illam obicitur, certa sit et explorata. Sic v. g. de malo morali connato quaestiones contra testimonium Scripturae S. ab hominibus

nibus scientiarum ignaris, et insuper inertibus, pigris, attamen turgidis, proponi solent; sed hi ne caperent quidem, quae recte super illis doctere differi possunt, neque etiam ad diu audiendum patientes forent. Quod autem mala connata a gignentibus ad progeniem propagentur, quomodocunque illud contingat, annon vita communis, annon experientia oeconomica de re pecuaria iam docet? Itaque ad certitudinem ne modi quidem explicatio, quomodo deriuatio vitiorum contingat, necessaria esse percipitur.

2) *Quaedam dubia sunt praeiudicia auctoritatis, ubi pro argumento opponitur sententia hominum, quorum auctoritatem quisquam sequatur, quoniam eos recte sentire putat, attamen sic opinatur vel sine ulla idonea causa, vel auctoritatem, quam in talibus hominibus agnoscit, ultra rationes extendit, propter quas praesumi potest, quod hi praes multis aliis rem recte perspectam habeant, et animi sensu ingenue expromant. Quotuplicis itaque generis sunt homines, in quibus praecellens auctoritas cuiquam inesse videatur, vel quos libenter sequatur, quoties iudicare vel non audet, vel alias ob causas detrectat, tam varie subdiuiditur praeiudicium auctoritatis. Notemus duntaxat quasdam formas, quae exemplorum loco sint, et ad illas breuissime quaedam obseruemus.*

Dubiis temere praetexitur auctoritas hominum doctorum. Sunt forsan philosophi; sed cogites, quo sensu, et an in omnibus vel quibusdam philosophiae partibus praeclari habeantur, quo tempore vixerint, quibus adiumentis scientiae usi sint, quid de mente et moribus illorum constet, denique quid et quomodo statuerint, qualia argumenta adhibuerint. Iure nostro postulamus, his cautionibus seruatis ne exemplum quidem vllius philosophematis bonae praesumptionis in promptu esse, quod cum sacrarum literarum doctrina ita pugnet, ut pro dubio contra illam allegari possit. Enim vero quid est tam ineptum, tam precario sumtum, quod non statuatur interdum ab hominibus, qui philosophi habentur! Quam frequenter etiam, qui in aliquo genere excellunt, inuolant in alienas disciplinas! Veluti excellens geometra an propterea de Deo, de legibus, de rerum natura, de mixtis illis thematibus, quae sane praecipuum momentum habent, videlicet de rebus, quae non intelliguntur nisi simul adhibitis ratione et reuelatione et historia^{)}, talis, inquam, an magis praesumeretur praes reliquis viris doctis recte decernere, quam de rebus mathematicis subtilissimis praesumitur acutissime verissimeque sentire, qui in tractandis scientiis alius generis famam et laudem*

confe-

^{*)} Vid. programma nostrum festo reform. 1772.

consecutus est? Sed forsitan ne scientia quidem solida in viro aliquo laudatissimo admirationi est, sed res memoriae, vel lusus lepidi ingenii, quae bona quando cum insigni amplitudine multaque lectione coniuncta sunt, homines inflant, et eorum admiratores percillant.

Est aliud auctoritatis praeiudicium, quo *immodice coluntur, qui mundus magnus* vsitato nostrae aetatis nomine *appellantur*. An autem Principes, qui nutu suo populos regunt, et plurimos habent assentatores, reuera doctissimi et ad iudicandum de rebus diuinis humanisque aptissimi sunt? An etiam pro ea, qua vtuntur, educatione, et in illa sua vitae et negotiorum voluptatumque consueta ratione peritissimi scientiarum iudices esse possunt? An etiam praesumptio de illis, qui generis nobilitate et dignitatum aulicarum splendore excellunt, obrinere iure potest, antequam viros noris? Annon potius rara sunt inter illos exempla egregie doctorum? Atqui a Principum amicorumque illorum auctoritate vtique pendet plerumque etiam magnitudo et celebritas hominum, qui euecti ab illis et probati deinceps doctissimi existimantur. Nec rara est inconsiderantia illa, qua, qui imperant, de vero et falso itidem sic pronuntiant, quasi ipsorum iussibus ipsa veritas subiecta esset. Cui errori in illis modeste occurrendum est, sed grauius increpandi sunt scholastici homines, sicubi, quando patrocinia potentissima nasci sunt, aduersariis suis, qui de rebus eruditae contra illos disputant, tale quid ostentare audent, tamquam si propterea illos rectius statuisset oporteret, quoniam plus valere debeat iudicium principum et patronorum tantorum, quam miselli scriptoris disputatio. Fallax ergo est dicti mundi magni auctoritas, quamdiu non expenditur, quid pro vnaquaque re vel contra illam dicatur, idque argumentis aestimetur, et merita cuiusque causae pensitentur.

Vnicum adhuc auctoritatis praeiudicium, sed propemodum grauissimum, commemoremus, nempe quo *auctoritas ecclesiae ostentatur*. Est suo loco ecclesiae omnino auctoritas in testando et docendo, sed recte intelligenda, de quo exponere huius loci non est. Sed qui praeter rem et praesumptionem, quod nequeunt argumentis, id student conficere alleganda ecclesiae auctoritate, cogitent, quid sibi velint. Quidnam enim ecclesiae nomine intelligunt? An hierarchiam illam ambitionosam, quae non constituta est per Scripturam S. sed propheticè praedicta est vt vitium et fons malorum, at non minus quoque praedictum est, quomodo malum illud a Deo tollendum sit? An ecclesiam repraesentatiuam, de qua alibi exposuimus *), quae nevtiquam ex vsu loquendi biblico, sed

B 2

voca-

*) Vid. programma nostrum festo reform. 1758.

XII

vocabulo recenti, et callide inuecto, dolosusque detorto, sic dicitur? An vero Patres vulgo dictos ecclesiam dici vis? Rursus monendum est, non ultra rationes, propter quas recte statuisse praesumi possunt, auctoritatem veterum scriptorum ecclesiasticorum extendendam esse, nisi praeiudicium inde fieri debeat. Non enim propterea honorabiles sunt, quia lectio illorum pars literaturae est, et forsan proximum ab auctoribus sic dictis classicis locum apud plerisque obtineret. Attendendum potius est, an et quousque nostris hominibus doctiores haberi possint, et annon frequentissime his inferiores scientia sint. Veneratores igitur immodici patrum, etsi eos extollunt, et omnibus praefereunt, quando suas opiniones illorum auctoritate confirmare satagunt tamen alibi eos deserunt, quando sentiunt, se sententiis patrum premi, ideoque reuera studium partium produunt, quod sequantur.

3) *Quaedam dubia nascuntur ex limitatione humana*, praesertim quando, ut plerumque fit, ad illam mala adsuesfactio accedit, scilicet quotiescunque homines statum intellectus sui studio morali, eoque pio, prudenti et indefesso, non formant et tuentur. Etenim Deus non solum vniuersae humanam naturam limitibus, quos voluit, circumscriptis, et rerum vniuersitatem sic constituit, ut in vnaquaque re a minori gradu ad maiorem progressio fiat, et praesentem mundi infantiam postremo permanens et aeterna rerum constitutio sequatur, sed expresse etiam studium morale, quod adhibeant spiritus intelligentes, pro scopo propositum habet, nempe ut illis curae sit nosse Deum, utque, quando et quousque Deum norint, toti ad perficiendam Dei voluntatem se conferant. Quamobrem, quoniam praxis sequitur iudicia intellectus, necesse est, scopum Dei praecipuum in bono intellectus usu positum esse, neglectione autem eius malaque conformatione culpam contrahi illam, quae Deum maxime offendat. Item quia verbo suo homines instruit, et inde a condito humano genere instruxit, ignorato autem vel neglecto Dei verbo perparum de sciendis faciendisque cognosci potest; sequitur, ut homines ad recte percipiendum tenendumque verbum diuinum non minus se conferre debeant, quam opus est sensibus et intelligentia communi uti. At vero accedit insuper, quod corruptio et pernicies in primo hominum pari contigit. Quam ob causam artificiosissimum illud opus, quod in terra fieri coelestes spiritus admirantur, dum ab vno homine chiliades chiliadum innumerabiles existunt et euoluuntur, sub insanabili plenaque offensionis corruptela depressum iacere videtur, cui tamen malo Christus oppositus est, saluator eorum, qui conuertuntur et per illum ad Deum reducuntur, sed idem iudex reproborum. Noua sic propter

propter corruptionem limitatio status humani exitit, quae cum illa, quae per naturam est, quaeque vel inuitabilis per se est, vel consilio diuino primae mundi aetati est attributa, nequaquam confundi debet. Dico igitur, quando limitatio, quae nunc est, cum mala aduersione coniungitur, dubia innumerabilia, et saepe speciosa, contra veritatem nasci oportere.

Volumina scribenda forent, si obseruationem hanc, per classes et partes eundo, illustrare susceperemus. Quod quoniam fieri nequit, delectis paucis exemplis utamur. *Est fere nullum hominum vitium frequentius, quam quod res sub idea sensibili a se cogitatas, attamen sensui vel uniuersè non subiectas, vel ab ipsis nondum sensu perceptas, arroganter negent, donec sensui subiiciantur. Sequuntur illum morem, quamdiu non speciales causae contrarium determinent, et ita obstinati contra veritatem talium rerum esse solent, vt saepe commenta interne vehementer improbabilia, fisiones contra regulas et usum vitae communis impingentes, quinimmo sine mente sonos, signenta prorsus incogitabilia, sed praetextu forsan subtilitatis et intellectus puri venditata, in locum earum rerum surrogent, quae euidentissimis argumentis constant. Itaque non in rusticis modo obseruamus, illis subinde ridiculum videri, quando mathematicorum auctoritate distantiae et dimensiones siderum commemorantur; nimirum non capiunt, quomodo istiusmodi res sciri possint, dum non cognosci queunt eo modo, quo ipsimet agros dimetiuntur. Simile vitium profanis quoque, quamuis literatis, adhaeret, quando contra res coelestes, naturas inuisibiles sed verbo diuino cognitatas, et contra res cum resurrectione mortuorum et posthac futuras, audacter disputant, item quando historiam creationis ex legibus motus physicis, quae constitutam iam naturam supponunt, diiudicant, nec non quando mortuorum resurrectionem a Christo, et iudicii causa, quod ab ipso habendum est, efficiendam, quando coelum gloriae, quod coelum tertium Paulus appellat, quando thronum maiestatis Dei in coelo, systema illud et locum intuituæ et beatificæ cognitionis Dei centrumque gubernationis mundi, et mandatorum, quae angelis, vt prouidentiae diuinæ administris, dantur, oppugnant, porro quando aduersarium illum generis humani, qui satanas vel diabolus dicitur, et spiritus illi subordinatos, negant, denique quando, quod summae dementiae et delirio simile est, in hoc ipso difficultates reperiunt, quod spiritus agant in corpora, spiritus, inquam, quorum causa sunt corpora, nec esse possent, nisi ideo essent, vt a spiritibus in illa ageretur. Plura his similia facile reperiet, qui plura voluerit.*

Aliud exemplum apponamus. Quotidiana vilescunt, quare *miracula*, quae ex Scriptura S. sapientissimo ordine et modo contigisse percipimus, *vel non creduntur, quia non omni tempore pariter fiant, vel occultis causis naturalibus tribuuntur*. Si hodiernum fierent, annon profani facile noua nomina reperirent, quibus vires occultas nuncuparent, quibus euenta illa contingerent, quemadmodum vires organizantes, et quid non, in ore habent, scilicet quoties facta negare non possent? Nam ad haec facta, torquenda iniquissime, et contra communes fidei historicae notas inficianda, se utique ante omnia conferrent. Quin immo ne de miraculis quidem solis hoc valet; nam spiritus quosunque superiores, angelos sanctos et malos, hosque praecipue, non solum ex testimoniis Scripturae S. agnoscere detrectant, verum etiam ne operationes quidem spirituum agnoscunt, vbi ex circumstantiis et conditione euentorum secundum easdem iudicandi regulas euidentes sunt, quas alibi in omni vita communi sequimur. Simile vitium in eo admittitur, quod, quum *imbecillitas pueritiae et adolescentiae non nisi tenuem de rebus ad regnum Dei attinentibus notitiam permittat, deinceps adultiori aetate diligentia negligitur, qua notiones illae inchoatae, et magnam partem alienis deditamentis deformatae, nec satis adaequate expressae, cum plenioribus, sed ex Scriptura S. ipsa petitis, permutarentur*. Inde fit, vt male adfatas conceptuum suorum partes pro essentia dogmatis habeant, ideoque illud vniuersè reprobent; scilicet tunc agnoscunt et allegant, quod diuinum est, illud nulla ex parte falsum quiddam amplecti posse.

Vnicum adhuc exemplum adiciamus. *Perpetuitas doctrinae* de peccato, de Christo, de conuersione, fide, et sic porro, *facit, vt doctrina illa principalis et summe necessaria, tamquam res trita et infinitis recolta in contentum abeat*. Nam necesse profecto est, ordinem salutis per omnes hominum *seculis* eundem doceri, donec vltima *seculi* appareat dies Christi. Interim in singulis omnium aetatum hominibus prouidentia Dei regulas sequitur easdem, quas inde a primum data promissione secuta est. Quidam mature vocationem gratiae Dei acceptant, alii tolerantur per maius vel minus temporis spatium, donec aut conuertantur, aut deserantur. Quo fit, vt *idem Euangelium per omnes seculis docendum et inculcandum sit, utique doctrina eius summum habeat pretium, et omnibus scientiae generibus praestantia et utilitate longissime praeferranda sit*. At vero quales sunt plerorumque hominum mores? Contemnuntur homiliae et catecheses sacrae, tamquam res viles et dudum notae et ad nauisam vsque repetitae. Sed cur non pariter res vitae communis, et si aequae tritae et quotidianae, contemnuntur? Nimirum limitationis humanae

manae est, res huius vitae sensu, aut studio, quod a cupiditatibus alatur et incendatur, complecti. Vera autem religio praeter studium consulto adhibitum postulat electionem Dei pro scopo vnico, et obtemperacionem, animique a cupiditatibus vanis turpibusque auocationem, Idcirco in quo non fuerit illud studium, qui careat ista voluntate, illum taedet recitationum quotidianarum de rebus iisdem; res enim hae nec euidenter sunt illi, nec iucundae. Contra ea nouitatis studio afficitur, et declamationibus mouetur, quando libri nuntiantur, qui nouum quiddam polliceantur, qui fruitionis bonorum mundi sensum efficiant acutiorem, vel usum diuturniorem, et probentur hominibus in magna dignitate constitutis.

4) *Quaedam dubia mera nituntur inscitia aut errore, veluti erroribus grammaticis, historicis dogmaticisque, vel sophismatibus, dum paralogismi pro argumentis venditantur, dum fallaciae mutati elenchi, compositionis et diuisionis adhibentur, maxime quando, quod propter certas rationes statuitur, vltra illas extenditur. Alia vero dubia fundantur in collisionibus argumentorum, etsi haec reuera minus frequentia sunt. De inscitia igitur et erroribus, quorum numerus non est, non opus est iam plura dici. Sed ad veras argumentorum collisiones animus diligentius, quam vulgo fit, aduertendus est. Nam bona mens, et tranquilla quidem, in talibus quoque exemplis sensu interno et notione concreta satis facile percipit, vtra sententia inter contradictorie oppositas praeualeat. At enim vero quando ratio distincte reddenda est contra subtiliter et cum insigni ingenii acumine disputantes; saepe ne illi quidem satisfaciunt, qui caeteroquin doctissimi habentur, scilicet quoniam in magna πολυμαθεία has tamen materias parum tractarunt, nec eas in promptu habent, sed modo ipsi vacillant instar arundinis, modo simpliciter pronuntiare malunt, et pro auctoritate decernere suscipiunt, eaque duritie dubitatores obloquentes habent acerbiores.*

5) Denique placitis, quae quisquam defendat, *etiam dubiorum nomine argumenta bona et valida opponi possunt, quae omnino audienda et excutienda sunt, quaeque, si nequeant amoueri, falsitatem placitorum euidenter probant. Negamus, vero Christianismo, videlicet illi, qui fidei vitaeque normam habeat Scripturam Sacram, talia vnquam obstare dubia. At frequenter praetextu Christiano res defenduntur, quae nullo modo ferri possunt, et quibus, quando argumenta opponuntur, quae talia commenta destruunt, nequaquam remedium paratur alleganda vniuerse limitatione cognitionis humanae, obscuritate rerum plurimarum, virtutis diuinae magnitudine, et sic porro. Veluti transsubstantiationi locus*

non

non est, quamdiu principium repugnantiae valet, sed insuper nec vola eius nec vestigium inest in sacris literis. Non Maria, mater Domini, non sancti coelites precibus inuocari possunt, nisi repugnare velis clarissime dictis ex ore Domini et per Spiritum eius. Non miracula pro transsubstantiatione, pro cultu Mariae, pro simulacris, vniquam fieri potuerunt; quaeque circumferuntur, ne disquisitione quidem historica opus habent, sed eadem certitudine simpliciter neganda sunt, qua diuina sacrarum literarum auctoritas certa est, et qua ipsum repugnantiae principium euidenter liquet.

Principiis solutionis problematis hactenus sufficienter expositis nunc ipsam solutionem succincte subiiciamus. *Problema est: quomodo vniuerse, et sigillatim in disputando super doctrinis Christianis, dubia, quae contra positas sententias proponuntur, legitime in data conuerti possint, et debeat, quo facto dubia tolluntur.* Respondemus ex principiis supra positis.

a) *Cauendum est ab impedimentis subiectiuis cognitionis veri*, scilicet prouidendum est, ne causa, cur quisquam dogma oppugnet, aut de illo dubitet, in ipsius animo et reliquo statu indiuiduali sita sit. Nam subiecti conditio verum et falsum obiectiue nec efficere valet, nec mutare.

b) *Animaduertendum est, cuiusmodi dubium sit*, quod affertur vel iacatur, puta, ad quamnam classem ex supra commemoratis referendum sit, quae relegendae sunt.

c) *Iure nostro postulamus*, et postulati nostri veritas vsu et experientia constabit, *contra doctrinas sacras, e sacris literis petitas, et contra ipsius Scripturae S. diuinam auctoritatem, non alia vniquam dubia prolata esse, vel proferrī posse, praeterquam quae sint vel merae quaestiones et cognitionis lacunae, vel errores, cuiuscunque generis, exegetici, historici, philosophici, sed errores illi plerumque robur habent accessorium, quo mentem deprimant et percillant, ab habitualibus opinionibus seu praeiudiciis, nec non a limitatione hominum, vti nunc est, siue sit pars limitum, quibus Deus praesentem vitam circumscriptis, siue originem ducat a deprauatione status humani, a congenita imbecillitate malaque virium animi et corporis dispositione, vel a mala adfuerudine, et vitiis, voluntariis actibus contractis. Nonnunquam tamen collisiones argumentorum obuiaae quidem sunt, sed bene solubiles illae; e contrario legitima et bona argumenta aduersantia, quae nec infringi, nec communibus collisionum regulis eo perduci queant, ne pugna amplius sit, nusquam profecto reperies.*

d) Di-

d) *Diligenter legenda est ipsa Scriptura S. eaque ut recte intelligatur, adhibenda sunt adiumenta illa intelligentiae grammatica, hermeneutica, historica, quae suspitione careant, scilicet quibus ubique vimur, et ex usu vitae communis compertum habemus, sic sententiam, quae verbis subiecta sit, vere reperiri. Quare idiotisimis sermonis biblici adhaerere debemus.* Est autem hoc nostro tempore tanto difficilius, quanto magis viuentes linguae ab ebraismo, quem graecitas noui testamenti iridem, recteque, seruat, remotiores sunt, et magis remouentur vicissitudine et inconstantia recentioribus vsitata. In quo norandum quoque est, locutiones non paucas, quae originetenus e sacris literis repetitae sunt, usu recentium linguarum longe alio sensu frequentari, v. g. spiritus, esprit, quod facile decipit imperitos, vt modernam hanc, quam vocant, dictionem in textum sacrum inferant, ideoque, quod in hoc vere inest, non videant, sed prorsus aliena illic videant, et textus torqueant et eneruent. Qui, quae ipse opinetur inesse in dictis biblicis, eleganter vertere vel circumscribere nouit, non propterea bonus interpret est, sed ante omnia opera danda est, vt dicentis mentem assequare.

e) *Firmiter teneantur argumenta religionis et diuinitatis sacri codicis, vt, quando super partibus disputatur, vel quaeritur, vnice de sensu dictorum quaeratur, nec absurditas in verbis non intellectis aut in rebus paradoxis inesse praepostere iudicetur.* Nam illa veritatis argumenta sufficienter abundeque peti possunt ex locis claris, quae interpretatione ne quidem egeant, aut eam facile nanciscantur. Sed dici non potest, quam multa dubia legentibus oboriantur, dum volunt criticos agere, et circumspiciunt, annon alicubi ineprum quid reperiant, quod indignum sit Deo, sed discipuli esse nolunt, qui clare dicta, vt Dei oracula, pie suscipiant et credant, quidquid contra dicat mundus vel domestica animi peruersitas. Vix opus habemus in studio sacrarum literarum piis hominibus etiam commendare *precationes pias et obedientiae ἀνεπίβουλον*, quibus recte seruatis specialis prouidentia ducens a Deo expedanda est. Nam officium hoc ipsum est pars praecipua doctrinae biblicae, quam lector non potest non agnoscere; vtinam multi eam non negligerent, quinimmo in dubium conuertere auderent!

f) *Simulatque verus verborum sensus exegerice reperus est, illud, quod, in sacris literis dicitur, simpliciter tenendum est vt prorsus verum et indubitabile, non minus quam quae oculis videmus et manibus palpamus.* Est enim discrimen inter res in sacris literis propositas eatenus est, vt non omnia aequae sint omnium hominum, quinimmo ne

C

tempo-

temporum quidem omnium, ideoque ad religionis in animo sinceritatem et ad sperandam salutem sint quaedam dogmata communiter scitu necessaria, alia non item, nec non vt alia pars doctrinae biblicae alia magis et communius utilis sit: veritas tamen vbique eadem est, quae ne quidem gradus admittit. In bono pharmacopolio vas quodlibet materiam continet vtilem; etsi, qui quaerat medicinam, vel curare velit aegrotos, non quamcunque thecam, quae primum obuia sit, arripere potest. Sic in sacris literis vnaquaeque pars utilis est. Et quia veritas Scripturae S. ex illa ipsa patere, atque etiam sine apparatu literario, et independenter ab auctoritaribus hominum doctorum, intelligibilis esse debet, non negligendae sunt particulae illae, vel tanquam inutiles traducendae, quarum vsus istuc valeat. Veluti inseruiunt fortasse ad caendum, ne historia pro ficta habeatur; aut vsum suum olim habuerunt, vt politia Israelitica tuta et segregata seruarietur; nec non prodesse possunt, vt signa temporum chronologica sint, quibus historia adiuuetur, quibusque intelligentia et euidencia prophetiarum saepe carere non potest. Sed veritas in omnibus eadem est. Quare non sunt audiendi, qui nouis artibus efficere moliuntur, vt Scriptura S. nihil nos docere possit, vtque religio Christiana nihil amplius sit, quam repurgatus naturalismus. Nam peruertunt et torquent dicta, quousque cum veritatis specie possunt, vt, quod volunt ipsi, illic dictum videatur. Quod si ne hoc quidem succedat, in aliud se latibulum conferunt, et, quod credere nolint, id ex praeiudicio aetatis et gentis dictum, more vulgi enuntiatum, per condescendentiam, κατ' οἰκονομίαν dictum esse, hominibus persuadere satagunt. Attamen prae se ferunt, se bona fide agere, et nihil a suis hypotheseibus religioni metuendum esse, quoniam capita illa ad substantiam fidei christianae necessario non pertineant. Sic per fallaciam compingunt et miscunt, quae sollicite distinguenda esse, iam monebamus. Sciendi necessitas gradus admittit, veritas nullo modo. Quemadmodum in physicis existentia muscae non minus vera est quam solis existentia, etsi hic mundo vsum praestat, qui comparari cum illa nullo modo potest; sic theses omnes in sacris literis aequae verae sunt, nec magis verum est Iesum esse Christum, quam Caipham fuisse pontificem, etsi alterum in se infinite maius quiddam, magisque scitu necessarium est, quam alterum.

g) *Requisitis*, quae haecenus enumerauimus, *rite obseruatis*, *obtinabitur*, quod explanare volebamus, *nempe dubia in data conuertuntur*. Dubia, inquam, quae imperiti aut maleuoli opponunt, vel commenticia sunt, ideoque qua materiam euanescent, vel non sunt obiectiones

nec

nec difficultates, sed pars sunt propositae doctrinae, de cuius diuina origine certissimis argumentis nobis constat, et ad cuius ideam animo plene comprehendendam, formandumque contra obloquentes statum quaestionis omnia data colligenda sunt. Vti proficimus cognitione, et in scientiis ad rem pertinentibus versati sumus, ita summa cum voluptate animaduertemus, omnes Scripturae S. partes inter se inuicem, simulque cum omni vera philosophia et historia, accurate consentire. Ipse talis consensus nouum firmissimumque veritatis argumentum est intelligentibus. Quare ineptum est, e. g. sic rogare, quomodo cum bonitate Dei corruptum generis humani statum conciliem? quomodo tria nomina seu tres personas in vna substantia aeterna credam, vt Filius Dei et Spiritus Dei sint non creaturae nec qualitates, sed proprie subsistant, at tamen sint a Deo, et vnum ens completum cum Deo sint? quomodo expiatio peccatorum per mortem Christi, Filii Dei, aut necessaria aut digna Deo sit? et sic porro. Modestus quaeso sis, et fac periculum, collige haec omnia vt data, vt phaenomena, et memoria interim retine, vt in promptu sint, quando inter se et cum pluribus rebus exploratis contendenda sunt. Caue modo, ne vnamquamque theologiae partem aliter accipias, quam accurate et perfecte secundum Scripturam S. non secundum opiniones hominum; in philosophia autem et historia caue, ne figmentis decipiaris, nec conclusiones vltra rationes suas extendas. Reperies sane, talem systematis a Deo conditi notionem prodire, vbi omnia apte consentiant, quae cognosci possunt. Sed hoc ipsum itidem decens est et congruit, quod arcana Dei et imperuestigabilia consilia et opera venerari, quodque verbo eius credere, promissa praestanda et comminationes certo efficiendas expectare tenemur. Immo Deus a nobis ne aliter quidem nisi fide ipsi habenda honorari potest, nec vlla virtutis moralis praemia esse possent, nisi post tempus obedientiae fidei antegressum.

Transferamus ergo thema tractatum ad nostri ipsorum temporis solatium. Frustra sunt, qui dubia contra fidei nostrae veritatem exinde desumunt, quod coetus purior post reformationem sacrorum crebra apostasia decreuit, quod vitia in ecclesia nostra grassantur, quod profanitas et scepticismus mirifice inualescunt, quod vario praetextu pruritus nouaturiendi et omnia turbandi, ipsamque Scripturam sacram, si fieri possit, nobis eripiendi, late propagatur, et quis numerum ineat malorum, quae quotidianas hominum querimonias euocant! Quomodo, inquit, Deus hoc permittere potest? Hoc ipsum phaenomenon vt datum cum pluribus contendendum est. Nam vitia illa cun-

Quae ad praedictiones Scripturae S. implendas faciunt. Non ergo habitandi
ansam praebent, sed signa temporis sunt, quae excitent ad indagandum ex-
spectandumque, quod euenturum posthac esse pariter praedictum est.

Ecclesia Christi, quae inchoati in veteri testamento operis consum-
matio est, in quo promissis veritas, umbrae res, responderent, a Domino
ipso fundata est, post suum ad gloriam Patris introitum, datis donis Spiritus
S. praecipuis et illi aetati propriis, nec non comitantibus miraculis,
quae in nomine Iesu Christi patrabantur. Per delectos ex primis illis re-
sistibus viros scriptis etiam libris norma fidei data est, quae, cum auxiliis
gratiae, quibus idem Spiritus Dei et Christi per verbum suum et cum illo
operatur, ad instructionem, et ad ipsam animi et vitae conformationem, fa-
ctis est omnibus hominum aetatibus sequentibus. Ad hanc itaque nor-
mam omnes oportet se componere. Eruditorum autem est, quoniam ad
illud vitae genus se conferunt, quod in descendis docendisque et appli-
candis scientiis versatur, proponenda atque tuenda illa norma in suo vi-
tae genere vniuersis inferuire Christianis, dignaque officia praestare, qui-
bus omnes recte instrui et quibus bene vti possint. Quamobrem quando
homines docti de doctrina Christiana, et imprimis de ipsa illius, quae in sa-
cris literis inest, norma, male merentur; scandalo sunt, nocentque publice,
et ad peccandum hominibus auctores sunt. Atque vlciscetur quidem suo
tempore Dominus ipse iniuriam, quam sibi et verbo suo intulerunt, at-
tamen nec vacabunt culpa, qui propter talia scandala in transfuersum agun-
tur, aut prorsus pereunt. Nam fore malos doctores, et fore etiam, qui
spreta veritate illos libenter sequantur, et qui malint audire, quae aures
delectent, quam animum Deo addicere et submittere, clare in sacris literis
praedictum est. Datum ergo hoc quoque est, quod notari decet, non
dubium, quod veritati religionis nostrae opponi, vel spem labefacere
possit, quam de seruanda Euangelii sui puritate in Iesu Christo ipso posi-
tam habemus et firmiter tenebimus.

Atque huc spectat etiam thema orationis solennis, qua festum penteco-
stes in templo academico concelebrare solemus, Scilicet V. Cl. M. CARO-
LVS GOTTHELF OPITZ, oratione luculenta et bene scripta exponet,
*quod praecipua doctrinae Christi pars non morum doctrina fuerit, sed doctrina
de sua persona suoque munere.* Ad quem beneuole audiendum vt hora XII
conueniant, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PRO-
CERES, *Generosissimos Nobilissimosque Ciues, omnesque rerum nostrarum
Fautores,* humanissime rogamus. P. P. Lipsiae festo Pentecostes. A. N. C.
CICIOCCCLXXIII.


L I P S I A E.
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

Je 3031

8

A.C.





15

D. CHRIST. AVG. CRVSII
PROBLEMA
DE
DVBIIS IN DATA
CONVERTENDIS,

SIGILLATIM
IN
DISVTVANDO SVPER DOCTRINIS
CHRISTIANIS.
PROGRAMMA PROPOSITVM IN ACAD. LIPS.

FESTO PENTECOST, CIOCCCLXXIII,